

50.

Upsaliae 1770. Julii 9.

Viro Amplissimo DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. C.
Linné.

Ad Tuas d. 9. Junio sequentia raptim reddo.

Cichorium integrifolium non novi, nisi sit Endivia spontanea, e qua culta orta sit. Semina essent exoptatissima, ut viderem ipsam plantam et quomodo differret.

Mesembryanthemum est ex acinaciformium familia. Si ramuli hexagoni esset filamentosum, si ancipites *forficatum*, quod minus mihi videtur.

Aster an acris, si viderem specimen siccum mox dicerem.

Seriota aethnensis, sic omnino videtur. crescit in horto nostro quotannis.

Solanum aethiopicum, certe simillimum; nobis crescit absque spinis, sed fructus et flores Tui simillimi.

Fructus crusta est dura.

Boerhavia si stamen 1 certe erit *diffusa*, si stamina 2 *diandra*.

Passiflora serratifolia cum meis speciminibus convenit.

Scabiosa est omnino *Scabiosa maritima*.

Solanum simillimum est *Lycopersico varietate* B. sed fructus in nostra rubri, glabri.

Loasam serui in olla fenestras meae et omnem adhibui curam ut cresceret; quotidie eam exspectavi, sed ne unicum semen germinavit meo summo cum dolore, adeoque spes omnis periit eam umquam vivam videndi. an Tua enata sit? Si apud Te prodierit millies precor semen recens mittere benigne velles, ut si adhuc per annum viverem eam viderem..

Dalechampia pulcherrime crescit in fenestra mea, sed nondum floruit.